CATECHISMUS PARVUS PUERIS,

Primum Latine qui ediſcatur,

Proponendus in

SCHOLIS.

LONDINI,

Typis *Andreæ Clark*, Impenſis Societatis Stationariorum, 1675.

LONDINI,

Typis Mariæ Clark, Impensis Societatis
Stationariorum, 1675.

Reverendiſſimis in Chriſto Patribus ac Dominis, *Matthæo* Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, *Edmundo* Archiepiſcopo *Eboracenſi*, *Edwino*, Epiſcopo *Londinenſi*, aliiſque reverendis Patribus, Epiſcopis Eccleſiæ Anglicanæ vigilantiſſimis, fideliſſimiſque Paſtoribus.

Quum pietas fundamentum ſit virtutum omnium, par eſt, ut teneri puerorum animi piis ſtatim opinionibus imbuantur. Ad hunc igitur pietatis uſum, Catechiſmum illum parvum de ſermone vulgari noſtra in Latinum, quantum efficere & conſequi potui, quantumque per religionem licebat, pure atque emendate converti: ut habeant, pueri noſtri ſtatim atque ſcholam ſunt ingreſſi ipſorum ætati atque ingenio accommodum libellum pium & parvum, quem Latinè ad verbum ediſcant: quem quum antè quoque cognitum habuerint, eundem illum verbis novum audire ſententia veterem re-

cognoscere, ut parum difficile, ita magnopere ipsis jucundum erit. Quod si quis plerisque in locis prolixè magis responsum esse existimabit, quam sit commodum ad captam memoriolamque puerilem, is sciat Religioni me habuisse, de Catechismo authoritate publica approbato, quicquam movere, aut immutare. Hic Libellus, si infimis Scholarum classibus atque ordinibus (interposita autoritate vestra) ediscendus proponatur, initium inde sumere nostri & aliquem gradum aditumque ad majora assequi possunt atque obtinere.

Vestri studiosissimus,

observantissimúsque

A. N.

In

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Amen.*

Magiſter.

Quo nomine appellaris?

Auditor.

N. aut. M.

M. *Quis hoc tibi nomen impoſuit?*

A. Qui voti ſe ſponſione Deo pro me obligarunt in Baptiſmo meo: In quo Chriſti membrum, filius Dei, & regni cœleſtis hæres ſum inſtitutus.

M. *Quod tunc pro te Conſponſores illi ſuſceperunt?*

A. Tria Deo ſpoſponderunt, voveruntque meo nomine: Primum quod Diabolum, cunctaque ejus opera, inanem pompam atque vanitatem impii mundi, & vitioſos omnes carnis appetitus funditus repudiarem. Secundum, quod Chriſtianæ fidei articulos univerſos crederem. Tertium, quod ſanctiſſimæ Dei

voluntati obtemperarem, atque præceptis ejus parerem, & ad illorum rationem totius vitæ formam dirigerem.

M. *An illorum voto promissoque teneri te putas ea credere & præstare, quæ illi pro te receperunt?*

A. Maxime profectò. Et Deo opem mihi atque auxilium ferente, enitar quantum quidem facere potuero. Cœlesti verò Patri maximas ex animo gratias ago habeoque, quod me per Jesum Christum Servatorem in hunc salutis statum deduxerit. Simulque Deum precor, ut divina me virtute sua imbuat, quo eundem usque ad extremum spiritum, & ultimum vitæ finem perpetuò retineam.

M. *Recita mihi Articulos fidei Christianæ.*

A. Credò in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ: Et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine: Passus sub Pontio

Pilato, crucifixus, mortuus: & sepultus est, descendit ad inferos, tertio die resurrexit á mortuis: ascendit ad cœlum, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, unde venturus est ad judicandum vivos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, & vitam æternam, *Amen.*

M. *Quid ex his fidei Articulis potissimum discis?*

A. Primo in Deum Patrem credere, qui me, & mundum Universum fabricatus est. Secundo in deum filium, qui me, & universum genus humanum redemit. Tertio, in Deum Spiritum Sanctum, qui me, & omnes á Deo electos sanctificat.

M. *Dicebas sponsores illos tuos tuo nomine in se recipisse, præcepta te divina esse observaturum; Dic mihi quot ea sint.*

A. Decem.

M. *Quæ?*

A. Eadem, quæ in vigeſimo capite Exodi extant: quæ Deus ipſe ad hunc modum effatus eſt:

Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex domicilio ſervitutis Ægyptiæ. Non habebis deos alienos coram me.

Miſerere noſtri, O Deus! mentéſque noſtras ad huic legi parendum inclina.

2. Simulacrum ullius rei, quæ aut ſuprà in cœlo, aut infrà in terra, aut in aquis infra terram ſit, non effinges, ea non veneraberis, neque coles, Nam ego ſum Dominus Deus tuus zelotypus, qui Parentum iniquitatem etiam in liberis vindico ad tertiam uſque quartamque progeniem oſorum mei, clementiaque utor ad milleſimam uſque progeniem, erga me amantes, meáque præcepta conſervantes.

Miſerere noſtri, O Deus, &c.

3. Nomen Domini Dei tui inaniter non uſurpabis: neque enim ſinet impunitum Dominus, qui ejus nomen inaniter adhibuerit.

Miſerere noſtri, O Deus, &c.

4. Diem

4. Diem Sabbati ſanctè agere memento : ſex diebus operaberis & facies omnia opera tua : ſeptimo verò die quod eſt Domini Dei tui Sabbatum, nullum opus facies, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec ſervus tuus, nec ancilla, neque jumentum tuum, neque apud te degens peregrinus. Nam ſex diebus perfecit Deus cœlum, & terram, & mare, & quicquid in illis continetur, ſeptimo quievit. Itaque diem Sabbati ſacrum ſibique dicatum eſſe voluit.

Miſerere noſtri, O Deus, &c.

5. Honora patrem & matrem, ut ſis longævus ſuper terram, quam daturus eſt tibi Deus tuus.

Miſerere noſtri, O Deus, &c.

6. Non occides.

Miſerere noſtri, O Deus, &c.

7. Non adulteraberis.

Miſerere noſtri, O Deus, &c.

8. Non furaberis.

Miſerere noſtri, O Deus, &c.

9. Non eris adverſus proximum tuum teſtis mendax.

Miſerere

Miserere nostri, O Deus, &c.

10. Non concupiſces cujuſquam domum, non uxorem, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec quicquam omnino aliud quod alterius ſit.

Miserere nostri, O Deus, & leges has tuas universas in animis nostris ut inscribas te oramus.

M. *Quid ex istis mandatis præcipuè discis?*

A. Duo: Pietatem primum erga Deum: deinde, meum erga homines officium addiſco.

M. *Pietas adversus Deum quæ est?*

A. Pietas erga Deum eſt, in eum credere: eum timere: eum toto pectore, mente tota, tota anima, viribus totis amare, illum venerari, illi omnia accepta ferre: in illo fiduciam omnem collocare: ipſius implorare opem: ipſius ſanctiſſimo nomini & verbo ſummam venerationem præſtare: & illi per omnem vitam ſtudioſè fideliterque inſervire.

M. *Quod est tuum erga proximum officium.*

A.

A. Illum, eadem qua me ipsum, benevolentia & charitate complecti. Omnibus hominibus facere, quod mihi ab illis fieri velim. Parentes charos & in honore habere, eos fovere & tueri. Principi & magistratibus honorem tribuere, & illorum me imperio & potestati subjicere. Authoritate præditis omnibus, Doctoribus Ecclesiæ Ministris, & præceptoribus dicto audientem esse. Superiores omnes observare & revereri. Neminem dicto factove lædere, veritatem retinere: servare æquitatem in omnibus rebus: mentem ab omni malitia odioque sanam atque integram servare: manus à frude, furto, latrociniis: linguam ab omni maledicentia, mendacio, & ab infamia cuique inferenda abstinere. Corpus temperatè, sobriè, & castè habere: aliena non concupiscere, neque appetere. Res ad vivendum necessarias juste mihi, & cum fide acquirere: & in eo vitæ statu, quo me Deus collocabit, officium non deserere.

M. *Volo te, mi fili de certis adhuc quorundam officiis fusiùs paulo dicere: itaque primùm, quæ in colendis obedientia officiis sita sunt explicare: cujus, virtutis munera ad ætatis conditioníque tuæ rationem maxime pertinent. Age ergo, dic mihi primum, quod sit subjectorum erga suum principem officium.*

Rom. 13. 2 Pet. 1. 14. *A.* Sancti Apostoli, divus Paulus & Petrus docent, Potestates omnes superiores à Deo creatas & constitutas esse & eos, qui potestati resistunt, contra divinum decretum repugnare, ipsoque sibi damnationem accersere: subjectos proinde omnes etiam atque etiam monent, ut Principem suum metuant, diligant, colant, ejus legibus, edictis, præceptis, legumque & regni ministris modestè pareant: idque non propter metum solùm, sed rectæ etiam voluntatis conscientiam: ut vectigalia omnia, tributáque debita conferant: nec opibus solum omnibus, sed & corporibus etiam suis principi fideliter inservian-

viant. Deum item precibus omnibus orare debent, ut principem tueri, & in omni bonitate, pietateque non conſervare modò, ſed cumulatiùs etiam augere, aut mores ejus, ſi fortè malus fuerit, emendare velit: omnibus denique bonorum ſubditorum officiis promereri, ut principe facili bonóque in ſe utantur.

M. *Nunc de liberorum erga parentes officiis narra.*

A. Sacra Scriptura liberos jubet parentibus obtemperare, atque inſervire: parentes timere, chariſſimos eos habere, eos colere & revereri: eaque non verbis ſolùm, actíſque, ſed verè etiam atque ex animo præſtare, parentum præceptis parere & vitæ eorum exempla imitari: à parentibus ſi quando caſtigentur, patienter ferre: Deum Optimum Maximum, ut parentes ſalvos atque conſervatos velit, aſſiduè ſupplicitérq; precari: parentes ſi forte in egeſtatem, aut afflictam fortunam inciderint, facultatibus ſuis ſublevare atque alere: parendo, cunctíſq; Eph. 6. Col. 3. Pro. 2. 15. & 17. & 28.

piorum

piorum liberorum officiis præstandis nullam paterni se amoris erga bonitatisque promerendæ occasionem amittere.

M. *Jam abs te audire velim, quid de spiritualium liberorum, Parœcorum videlicet, vel curialium, auditorumque officiis erga pastores suos, & concionatores, ut spirituales parentes, didiceris.*

A. Parœcis auditoribusque in verbo Dei præcipitur, ut pastoribus suis
2 Tim 5. & concionatoribus duplicem honorem tribuant: id est: ut eos non reverentur solùm, illisque obtemperent, verum etiam ut tum verbis, tum subsidiis suis illos sublevent atque sustentent. Imprimis verò cavere debent, ne bonum divini verbi semen per illos seminatum, inuriâ desidiâque sua ut in saxetum, aut solum sterile sparsum perire patiantur.

M. *Servorum nunc quæ sint officia declarato.*

A Servorum adversus dominos officia in sacris literis sic describuntur.

Ser-

Servi, dominis veſtris terreſtibus in omnibus obedite, cum timore atque tremore, ſimpliciterque & ex animo, ut Chriſto ipſi obſequentes: non ſimulata ſedulitate oculis ſervientes, ut qui hominum benevolentiam captant; ſed ut ſervi Chriſti; quicquid verò feceritis, animo id æquo libentique facite, ut Dei potiùs quam hominum voluntati obtemperantes: certi á Deo vos eſſe hereditatis præmio donandos, domino enim Chriſto ſervitis. Col. 3. Eph. 6.

M. *Tametſi (chariſſime fili) tibi per ætatem, parendi potiùs, quàm imperandi præceptis adhuc ſit opus, tamen quum ad honeſtam honoratamque ſenectutem (Dei munere) vivere poſſis, ſicuti & victurum te ſpero, ignarum nollem, quemadmodum in eo vitæ ſtatu in quo divino beneficio fueris collocatus, te gerere conveniat. Quamobrem explicare te volo, quid ex alterâ parte, de parentum, dominorum, aut patrum familias, itemque de conjugum, officiis didiceris; Dic ergo primùm*

Primum de Parentum in Liberos officiis.

A. Parentum erga liberos officium, ſicuti idem Apoſtolus S. Paulus docet: eſt, ut eos ab ipſis ſtatim incunabilis, ad timorem & diſciplinam Domini, ad verecundiam item, vitiorum odium, & amorem virtutis inſtituant, utque ipſi fere liberis ſuis omnis pietatis atque ſanctitatis exemplaria præbeant. Ab otio verò & deſidia, ut malorum omnium matre, liberos ſuos arcere debent; curaréq; ut aut liberalibus diſciplinis, aut aliquâ bonæ artis ſcientiâ erudiantur: ut cùm adoleverint, ad victum neceſſaria honeſtè juſteque poſſint acquirere.

Ephes. 6. Col. 3.

2 Cor. 1. Prov. 10. & 13. 3. 9.

M. *Perge nunc ad Dominorum & Patrum-familias officia.*

A. A Dominis & Patribus-familias, qui in locum parentum famulis & familiis ſuis pervenerunt, cavendum eſſe didici, ne famuli languori ſeſe deſidiæque dedant: curandumque tum inſtitutione diligenti, tum imprimis imita-

imitatione ſui, ut mores eorum ad honeſtatem, decorum, & virtutem formentur. Cum quibus vero pacti ſunt artibus eos, quas ipſi profitentur, erudire, non ſecus atque liberos ſuos, parentes conſueverunt, ſine ulla fraude, dilatione, aut ludificatione perdoceant. Quod ſi quando animadverſione opus fuerit, tam moderatè, tam clementer, tantoque emendandi ſtudio, ut naturales parentes charos liberos ſolent, caſtigatione afficiant: hujus ſemper memores, eſſe & ſibi quoque in cœlo Dominum.

Eph. 6. b 9. Col. 1. a 24. Heb. 12. b 7.

M. *Maritorum jam officia erga uxores recenſe?*

A. D. Petrus Apoſtolus, qui & ipſe maritus fuit, & D. item Paulus maritos, ſicuti, ego accepi, inſtituunt, ut prudenter cum uxoribus, ſcienterque & abſque omni omnino acerbitate verſentur: ut uxores non ſecus, ac ſua ipſorum corpora diligant, tueantur & foveant: imò maritos ſuas conjuges amare debere, perinde atque Chriſtus Eccleſiam dilexit, qui ſemetipſum

1 Pet. 3. b 7. Eph. 5. d. 25. Col. 1. c. 15.

illi impendit, ut eam ſanctam efficeret:

M. *Perge porro explicare quo modo uxores viciſſim ſeſe gerere debeant.*

A. Eoſdem illos ſanctos Apoſtolos uxores docere & commonefacere intellexi, ut maritos ſuos reverentur, illiſque haud ſecus quam domino ipſi
Eph. 5. 21. pareant & obtemperent, eſſetque mari-
Col. 1. c. 18. tus uxoris ſuæ caput, ut & Chriſtus
1 Pet. 3. a. 2. eſt Eccleſiæ caput: proinde, quemadmodum Eccleſia ſive congregatio Chriſto eſt ſubjecta, ſic & uxores viris propriis in omnibus rebus, ita ut convenit, in Domino obſequentes eſſe oportet: ſicuti & Sara obedivit Abrahæ, eumque dominum appellavit. In ſacris vero literis uxores veſtitu ſe magnifico ſumptuoſoque exornare,
Pet. 3. a. 1. vel intortos aut auro redimitos haberes crines prohibentur: ſed ut ad exemplum ſanctarum illarum Matronarum, quæ in Deo ſpem collocarunt externum quidem amictum mediocrem ſimplicemque induant, interno vero illo virtutum cultu animos excolant; lenitate videlicet, manſuetudine, tran-

tranquillitate, caritate, quæ res tanti in oculis Dei pretiosissimæ.

M. *Jam vero, mi fili, quum non sit situm in hominis cujusquam potestate, ut istis similibusque* D E I *præceptis per se pareat, illique, ex sanctissimo legum suarum prescripto, inserviat, nisi ipse virtutem nobis divinitus largiatur, quæ noctes diesque assiduis est efflagitanda precibus, an precationem illam, quæ Dominica dicitur, teneas, intelligere, & eam te proinde mihi recitare, velim.*

A. Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, sic etiam in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra; sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, quia tuum est regnum, potentia, gloria, in secula seculorum, Amen.

M. *Quid à Deo in hac precatione expetis?*

A. Precor Dominum Deum meum, Patrem cœleſtem, bonorum omnium autorem, ut ego, & univerſi mecum mortales divino illius ſpiritu afflati, eum piè ſancteque colamus & veneremur; illi inſerviamus: & ejus voluntati, ut par eſt, obediamus. Oroque Deum, ut omnia in univerſum, vel quæ ad animæ ſalutem ſunt neceſſaria, vel quæ ad uſum vitæ pertinent, nobis largiri velit: ut ſupplicum miſereri, & peccatis noſtris ignoſcere, pericula omnia tam ab animis, quam corporibus noſtris depellere, à vitiis & flagitiis omnibus avocare, & à Satanæ etiam impetu tueri, & ab interitu ſempiterno conſervare nos velit. Atque hæc eum pro paterna ſua clementia, atque bonitate, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum largiturum eſſe ſpem bonam concipio, ideoque Amen, id eſt, ita fiat, ad finem precationis adjungo.

M. *Quot in Eccleſia ſua Sacramenta inſtituit Dominus?*

A. Duo: Baptiſmum, & Cœnam Domi-

Domini.

M. *Quid eſt ſacramentum?*

A. Eſt externum & aſpectabile ſignum, internam, arcanamque ſpiritualem gratiam repræſentans, ab ipſo Chriſto inſtitutum, ad teſtificandum divinam erga nos per eundem Chriſtum Servatorem, benevolentiam atque beneficentiam: qua Dei promiſſiones de remiſſione peccatorum & æterna ſalute per Chriſtum data, quaſi conſignantur, & earum veritas in cordibus noſtris certius confirmatur.

M. *Sacramentum quot partibus conſtat?*

A. Duabus: ſigno externo atque ſpectabili: & interno inviſibilique gratia.

M. *Quod eſt in Baptiſmo ſignum externum?*

A. Aqua, in quam baptizatus intingitur, vel ea aſpergitur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

M. *Quæ eſt arcana & ſpiritualis gratia?*

A. Remiſſio peccatorum, & Rege-

neratio, quæ utraque habeamus à morte & reſurrectione Chriſti, eorum vero obſignationem atque pignus habeamus in hoc Sacramento.

M. *Baptiſmi vim adhuc apertius mihi ediſſere?*

A. Quum natura alieni ab Eccleſia Deique familia, & per peccatum filii iræ, dignique æterna damnatione ſimus; per Baptiſmum in Eccleſiam admittimur, certiores facti filios Dei jam nos eſſe, & in Chriſti corpus inſertos, ejuſque membra factos in unum cum ipſo corpus coaleſcere.

M. *Quæ requiruntur ab iis, qui ad Baptiſmum accedunt?*

A. Fides & pœnitentia.

M. *Hæc planius explica?*

A. Anteactæ impiæ vitæ vehementer primum pœnitere, & certam fiduciam habere debemus, nos Chriſti ſanguine à peccatis purgatos, atque ita Deo gratos eſſe, Spiritumque ejus in nobis habitare. Et ſecundum fidem & profeſſionem in Ba-

ut carnem noſtram mortificemus, & pia vita declaremus nos Chriſtum induiſſe, & ejus Spiritu donatos eſſe.

M. *Qui ſit tum ut infantes baptizentur, qui hæc per ætatem hactenus præſtare non poſſunt?*

A. Quia ad Eccleſiam Dei pertinent, & Dei benedictio, promiſſioque Eccleſiæ facta per Chriſtum, in cujus fide baptizantur, ad eos pertinent: quæ poſtquam adoleverint, ipſos intelligere, credere, atque cognoſcere oportet, initique ut Chriſtiani hominis officium, quod in Baptiſmo polliciti ſunt atque profeſſi, moribus & vita præſtant.

M. *Quæ eſt Cænæ Dominicæ ratio?*

A. Eadem nimirum quam Chriſtus Dominus inſtituit: qui ea qua traditus eſt nocte, accipit panem, poſtquam gratias egiſſet, fregit, & dedit Diſcipulis ſuis dicens: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in mei commemorationem. Ad eundem modum & Calicem accepit (peracta cœna)

Mat. 26. Mark. 14. Luc. 22. 2 Cor. 11.

& gratiis actis dedit eis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic enim est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur ad remissionem peccatorum: hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem.

Hanc formam rationemque cœnæ Dominicæ tenere donec ipse veniar & inviolarè servare, pièque atque religiosè celebrare oportet.

M. *In quem usum?*

A. Ut mortis Domini, summique beneficii illius, quo per eam affecti sumus, gratam perpetuò memoriam celebremus & retineamus; & sicuti in Baptismo renati sumus, ita cœna Dominica ad vitam spiritualem, atque sempiternam, jugiter alamur atque sustentemur: ideoque semel Baptismo initiari, ut semel nasci, satis est; ut cœnæ Dominicæ, perinde atque alimenti, usus identidem est repetendus.

M. *Quæ sunt hujus Sacramenti partes atque materia?*

A. Du-

A. Duplici materia, vel partibus duabus hoc Sacramentum, perinde atque Baptiſmus, conſtat, quarum una terrena eſt, atque ſub ſenſu cadens: altera cœleſtis eſt, quæ ſenſibus externis percepi non poteſt.

M. *Quæ eſt hujus Sacramenti terrena & ſenſibilis pars?*

A. Panis & vinum, quibus utriſque ut omnes uterentur, Dominus diſertè præcepit.

M. *Cæleſtis illa pars & remota ab omnibus externis ſenſibus quænam eſt?*

A. Corpus & ſanguis Chriſti, quæ in cœna Dominica fidelibus dantur, ab illiſque accipiuntur, eduntur & bibuntur, cœleſti tantum, ſpiritualiq; modo: revera tamen, adeò quidem, ut ſicuti panis corpora nutrit, ita & corpus Chriſti animas noſtras ſpiritualiter per fidem alit; & ſicut vino hominum corda exhilarantur, & roborantur vires: ita ſanguine Chriſti animæ noſtræ reficiuntur atque recreantur per fidem, qua ratione corpus & ſanguis Chriſti in cœna reci-

recipiuntur. Nam Chriſtus ſibi fidentes tam certo facit, corporis atque ſanguinis ſui participes, quàm certo ſe panem atque vinum ore & ventriculo recipiſſe ſciunt.

M. *An ergo panis & vinum in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti mutantur?*

A. Minimè; illud enim eſſet naturam ſacramenti (quod è materia cœleſti atque terrena conſtare oportet) extinguere.

M. *An inſtituta fuit à Chriſto Cœna, ut Deo patri ſacrificium pro peccatorum remiſſione offeratur?*

A. Nequaquam. Eſt enim peccati atque illi debitæ damnationis onus tam grave, tam immenſum immaneque pondus, ut ſolus Dei filius Jeſus Chriſtus ſacrificium, quo nos ab illis liberaret, facere poſſet. Quum ergo Servator noſter Chriſtus ipſe in cruce ſe morti pro nobis obtulit, unicam illam perfectam ſempiternamque hoſtiam Deo patri gratiſſimam, ac peccati expiationem ſemel in perpetuum

immolavit, ſcelerum noſtrorum maculas ſanguine ſuo eluens atque deluens ad noſtram æternam ſalutem. Nobis vero nihil reliqui fecit niſi ut fiduciam atque ſpem omnem firmiſſime in illo collocemus, ſempiternique illius ſacrificii uſum fructumque gratis animis capiamus, quod quidem in cœna Dominica maximè faciamus.

M. *Noſtrum quod eſt officium ut rectò ad Cœnam Dominicam accedamus?*

A. Ut nos ipſos exploremus, num vera ſimus Chriſti membra.

M. *Quibus id notis deprehendemus?*

A. Primùm, ſi ex animo nos pœniteat peccatorum noſtrorum; deinde, ſi certa ſpe de Dei per Chriſtum miſericordia nitamur, atque nos ſuſtineamus, cum grata redemptionis per mortem ejus acquiſitæ memoria; præterea ſi de vita in futurum piè degenda ſeriam cogitationem, & deſtinatum propoſitum ſuſcipiamus; poſtremò cum conjunctionis etiam, charitatiſque inter ſe hominum mutuæ ſymbo-

lum in cœna dominica contineatur, ſi proximos, id eſt, mortales omnes, fraterno amore, ſine ulla malevolentia odioque, proſequimur.

FINIS.

Precationes ante Epulas, & cum epulati ſumus, gratiarum actiones.

Ante convivium precatio.

OCuli omnium ſuſpiciunt, & in te, O Deus, ſpem ſuam collocant: in tempeſtivos illis cibos ſuppeditas: dilatas tu manum tuam, & animantium genus omne tuâ beneficentiâ exſaturas. Precamur ſanctiſſime Domine Deus, ut nos tibi, nobiſque omnia dona, quæ de tua munifica liberalitate accipimus, conſecrare velis, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.
Pater noſter qui, &c

Poſt convivium.

SEmpiternæ Rex gloriæ faxit, ut nos cœleſtis ſuæ menſæ aſſeclæ participeſque ſimus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deus Eccleſiam ſuam univerſam, Regem noſtrum, Carolum, *regnumque ſalvum conſervet, & Pacem nobis atque*

atque veritatem in Christo Jesu largiatur, Amen.

Ante Epulas.

Sive editis, sive bibitis, inquit S. Paulus, sive quid aliud facitis ad Dei
2 Cor. 10 *laudem gloriamque fiant universa.*
Pater noster qui, &c.

Post Epulas.

Psal. 91. *Gloria, honos, laus, tibi tribuatur Domine Deus, qui nos ab ineunte ætate nutricaris, & animantibus omnibus alimenta præbes : mentes nostras exple gaudio & lætitia, ut victum necessarium semper habentes, omnibus piorum operum copiis datemur atque abundemus, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.*
Deus Ecclesiam suam universam, &c.

Ante cibum.

2 Tim: 4. *Largire, Pater clementissime, ut tuorum munerum per sanctum verbum tuum sacrorum usu moderato fame sitique depulsa, tum corporum,*

tum

tum animorum nostrorum vires sic reficiantur, ut ad utilia negotia gerenda promptiores alacrioresque reddamur, ad tui sanctissimi nominis gloriam, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Post cibum.

GRatias tibi agimus, Pater optime, cujus largissima benignitate corpora nostra assiduè sustentantur: precamurque ut animos etiam nostros virtute tua cælesti atque vitali sacrosancti verbi tui pane pastuque recreare, & fide vera atque certa spe sempiternæ vitæ sustinere velis, per Jesum Christum Servatorem nostrum, cui tecum, & sancto spiritu, sit omnis honor & gloria, Amen.

2 Cor

Pſal.

2